

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-tertio menſis Maïi, Anno Domini M. DCC. LI.

PRÆSIDE,

M. LEANDRO PEAGET, Doctore Medico, Conſiliario Medico Regis ordinario in ejus Caſtelleto.

An ablactandis pulticula potior è medulla panis, aut malti *farinâ?*

I.

HUMANI corporis integritatem, laudabili ſanguinis & humorum temperiei & copiæ ceu fundamento ſuperſtructam eſſe, ratione docemur & experientiâ. Sanguinis autem & humorum juſtam quantitatem & εὐκρασίαν, ingeſtorum convenienti delectu & uſu confoveri maximè, nemo diffitebitur qui meminerit nullam cibi potûſque ſalubris aut inſalubris eſſe rationem niſi relativam ad ætatem, ſexum, exercitia, temperamentum, anni tempora, regiones, &c. Opus ergo primarium incumbit Medico, cives prudenti conſilio moneat quid ferre valeant, quid recuſent organa. Hinc diverſis quibuſque tem-

poribus acri ſtudio laboratum eſt de cognoſcendis alimentorum in humana corpora virtutibus. (*a*) Magnus *Hippocrates*, (*b*) *Galenus* & alii de majorum ordine, rem à poſteriori definire ſuſceperunt. E recentioribus (*c*) Medici *Salernitenſes* utilia multa tradiderunt. Plures hinc & inde (*d*) ſuas in commune bonum obſervationes contulerunt, uſquedum operi faſtigium impoſuiſſe penè videatur induſtria Chemicorum qui ſingula ſingulatim explorantes, ſolutionibus, combinationibus, digeſtionibus, extractis, &c, eò pervenerunt ut aſſumptorum effectus in humano corpore feliciter eruerent ab actione reciprocâ eorum omnium quæ manifeſta ſunt in eſculentis, potulentis & in ipſo viventi corpore. Hinc illa pars ὑγιεινῆς quæ rei cibariæ curam ſibi vindicat, ad tantum certitudinis gradum evecta eſt, ut quibuſque ſuum attribuerit vivendi genus individuis ita quidem accommodatum, ut offenſam ab errore diætæ naſcituram certò prænunciare valeat. Quin pulcherrimæ diſciplinæ laus ea eſt, ut ſi quandóque gravibus in morbis ceſpitet artis prudentia, primas ſaltem origines & conceptacula morborum uſus diætæ conveniens præter expectationem removere valeat; adeò ut morigeri mortales, ex hujus præſcripto, vitam ſi componerent, pro magnâ parte verſarentur extra repentinæ mortis ita communem aleam. Inter illos autem quos leges diæteticæ reſpiciunt potiſſimùm, imbecilles rectè numeraveris; quandoquidem ut plurimùm *ſanus homo, qui & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet*. Imbecillioris porrò naturæ ſunt εὐμετάβλητοι, quotquot videlicet fibris ſunt tenerioribus & exquiſitiori ſenſu donatis; qui proinde rebus externis omnino facilè læduntur, ſcilicet aëris afflatu frigidiuſculi, vel ſolo ſuaveolentium odore, &c. Eorum in cenſum referuntur infantes, pueri, mulierculæ, litterarum cupidi, prægnantes, ſenum maxima pars, &c. Verùm inter illos primatum infantes tenent ex omni capite. Præterquamquòd enim teneris in annis textura partium omnino mollis eſt, ſyſtema nervoſum (*e*) excedit eâdem in ætate rationem quam in adultis habet ad corpus reliquum. Quapropter infantes nervoſi generis affectionibus patent graviſſimis. Quantam ergo diligentiam impendere debent qui recens natorum patrocinantur valetudini! Conſilio mirabili quidem ſummi rerum Opificis, varia præſcripta ſunt illis temporum diſcrimina pro primis ſenſationum exercendarum vicibus, ne ſcilicet corpus tenerrimum obrueretur actionibus organorum in quibus nervi numeroſiores acutiſſimè ſentiunt. Hinc aqueus humor inter naſcendum turbidus, cæcitatem infert temporaneam quâ pulchrè proteguntur neophytorum oculi contra vim luminis. Ne ſonus vehementior illorum aures divellat teneras, oſſeus auris externæ ductus (*f*) apud eoſdem nullus eſt. Diſſertationis anguſti limites non ſinunt fuſiùs exponere cautelas quibus Natura conſuluit infantum προφυλακῇ. Media direxit ubique ad finis aſſecutionem certiſſima, quæ ſi nimis, eheu! fallunt ſpem noſtram & vota, non Naturæ ſed parentum reatus eſt. Imbellis infantium ventriculus non niſi tenuem ferre poteſt alimoniam. At lactis copia non deficit matris uberibus, donec proles tenerrima cibo paululùm firmiori ſubigendo ſufficiat. Sed fato neſcio quo, dum matres ſobolis interemptæ deſiderio contabeſcunt, prima & majora caritatis in lactanda progenie munia repudiant. Hinc fœcunda mali labes. Namque raptis ab ubere tot civibus ætas noſtra cur orba ſit, cauſam ne quæras aliam, quàm quòd infantes innocui, nutricem nacti ſint minùs ſobriam, immundam, protervam, coinquinatam aliquâ morum turpitudine. Neque tantùm ob inauſpicatæ lactationis vitia, lactentes acerbo merguntur funere; ſed etiam ubi lacti ſubinde parcere, paſtumque cibis paulò craſſioribus variare opus eſt, quia mercenariæ lactantes ſervare modum nolunt & neſciunt, alumno ferales ingerunt epulas. Illarum effectus infenſos rectè deduxeris à copiâ quæ nutricum ſcelus eſt, & qualitate quæ, qualis apud nos in uſu eſt, necrologicas ablactatorum certè valet amplificare tabulas. In prius damnum acriùs invehi noſtra quid ars proficiet, ubi parentum caritas circa illud amat cæcutire?

(*a*) Lib. de victûs ratione.
(*b*) De aliment. Facult.
(*c*) Scho. Salern. de ſanit. tuend.
(*d*) Nonnus de re cibariâ. Sebizius de Facult. aliment. &c.
Celſ. lib. 1. cap. 1. pag. 20.
(*e*) Boërhaav. Prælect. Academ. tom. 6. n°. 736.
(*f*) M. Winſlow, Expoſit. Anat. traité des os ſecs, n°. 497 & 498.

De poſteriori ſaltem caveant. Nitori corporis & formæ non nocebit, hoc potiùs quàm illud ſubſtantiæ genus imperare, pro ſubminiſtrandis ablactando dapibus. Farinam porrò lacte dilutam igne coquunt : vocant pulticulam, quod quidem alimentum, ob declaranda inferiùs vitia, non poteſt non eſſe noxium infantibus lacte fraudandis. In ſalutiferum emendabunt, ſi, lacte ſervato, crudæ farinæ malorum origini, ſuffecerint medullam panis aut *malti* farinam.

I I.

NECROLOGIA diligens edocuit infantes ſecundùm partem ſuî maximam ab incunabulis occumbere neci. Temeritatis crimine meritò culparetur, qui pro cauſa tot malorum vulgatiſſimâ, ſolùm regiminis errorem proponeret. Alii quidem in partu difficili, primos cum ultimis agunt ſpiritus. Alii parentibus fati valetudinariis, labem illorum quia participant, ociùs extinguntur. Laborioſa dentitio non paucos internecat, &c. Plures autem quàm vulgò reputant, jugulantur inimico victu. Hoc ultimum conſtat ex eo quòd morientium ſeries non certam ubique ſequatur rationem; ſed in gentibus apud quas ſalubris παιδοτροφία neglectui eſt, in locis v. g. populoſarum civitatum conterminis, plures intereant quàm (multitudinis habito reſpectu) poſtulat aliis in plagis obſervari ſolita proportio. Ita ſanè 12000 paſſibus *Londino* diſtantis Parochiæ Rector acerbè conqueritur *ſuam Parochiam limitum ſpatio, & numero incolarum non parvam, atque in aëre admodùm ſalubri ſitam, fuiſſe ſub primum ejus adventum infantibus lactentibus quaquaverſus repletam, & nihilominùs intra ſpatium unius anni ſe univerſos, duobus exceptis.... tumulo mandaſſe.... necnon eundem numerum infantulorum ſtatim bis ſuppletum.... ſe eodem iſto anno terræ parenti.... reddidiſſe.* Ita pariter in agro *Pariſienſi* ubi mos invaluit ablactatos ingurgitare pravâ pulticulâ (*a*) numerus occumbentium conſtanter ſuperat partem natorum dimidiam. Quot autem ſtrages edere valeat hujuſmodi victus, æſtimabit ex æquo, qui probè noverit quali cibo ventriculus infantis concoquendo par ſit, noverit & dotes è farina cruda pulticulæ. Jam verò lacte fraudandorum natura talis eſt, ut eos polytropho largóque victu cibare quidem oporteat ob increſcendi neceſſitatem, facultas verò digeſtiva non niſi tenuis exquiſitè cibi delectum patiatur. Opus eſt etiam attentè cavere ne tantiſper ultra modum extendatur illorum ventriculus. Hæc etenim quantulacumque diſtenſio venenum eſt unde manant in puerulos infanda malorum genera. Horum ergo cibariis exulet ſedulò qualecumque genus alimenti, quod materiâ conficitur aëre copioſo fœtâ, quæ ſcilicet inimicæ fermentationi vel rareſcentiæ ſaltem in ventriculo concipiendæ foret idonea. Nam certum (*b*) eſt aëris particulas ullâ uſquam arte notâ vix amiſiſſe ſuum elaterem. Ingenium quidem earum eſt ut ſi ſolitariæ ſint, exercere non videantur hujuſmodi virtutem. Hinc diſſeminatæ corporibus ibidem ita quieſcere poſſunt, *ut per ſæcula nullum effectum elaſticum unquam exhibeant, & tamen ſolutæ ſuique ſimilibus commiſtæ totam elaſticitatem ſe retinuiſſe demonſtrent.* Quapropter alimentis in ventriculo conciliari nulla poteſt ſubſtantiæ mutatio, quin illarum particulis interfuſus aër colligatur, ſeque protinus, ob anguſtiam caloremque loci, diffundere nitatur eâ ferociâ quæ ventriculi lateribus (in puerulo facilè diſcindendis) nihilò pejus officiat quàm intemperantia cibi nocuiſſet. Alimentorum loculis reconditus aër quid valeat; ſatis evicerunt multiplices caſus adultorum apud quos materia fermentans (*c*) clauſum ventriculum dirupiſſe viſa eſt. Porro cladem ex intumeſcentia ventriculi ſi declinare nequeunt adultorum vires, quidnam infantili de corpore futurum arbitraris, ipſi ſi contigerit in tanto rerum verſari diſcrimine? Extrema quæcumque ſecutura ſunt infortunia tantò celeriùs, quantò patentior in infantibus huicce perniciei via eſt. A diſtenſione nimiâ quàm præceps apud eos ad mortem iter ſit, docet laxitas illorum ventriculi, cujus fibræ, ſolâ vi recepti aëris, in cadavere nonnunquam ita divelluntur, ut inſufflanti per canalem anguſtæ ſatis dia-

Gualt. Harris de morb. acut. infant.

(*a*) M. Deparc. Eſſai ſur les probab. de la durée de la vie hum. pag. 71.

(*b*) Mariot. de la Nat. de l'air, pag. 173. Duhamel, hiſt. Acad. R. Sc. pag. 368. Muſſchenb. Eſſai de Phyſ. §. 1403. Id. tentam. experim. nat. Academ. del Ciment. pag. 38.

Boerhaav. Chem. tom. I. pag. 242.

(*c*) Id. Prælect. Academ. tom. 6. n°. 763. & n°. 810.

metri, tumens ventriculus frequenter viſus ſit medius crepuiſſe. At iterum ſurgit horrenda ſeges malorum, ſi craſſior ablactando victus concedatur. Quis enim ignorat eos qui diuturno morbo convaleſcunt, pati recidivam & miſerè ſæpiùs exanimari, ſi fortè fractarum virium immemores, quem concupiſcunt victum firmiorem maturiùs ſibi permiſerint? At infantes quibus lac ſubducitur, etiam validiſſimi, viribus certè non ſuperant convaleſcentium adultorum corpora, quinimò debiliores multò ſunt. Qualem igitur eorum ventriculus in coctione collocabit operam, dum languida muſculorum in exteriori corporis habitu ſubſtantia vix ſufficit ſuſtentandis artubus? Fibrarum quibus obvolvitur debilitas tanta eſt, ut invicem affrictæ paululùm, vel quandóque ſolis tractatæ manibus ſæpè dilanientur. Huc adde quòd nequaquam, vel non niſi languidiùs afficiantur aculeis quibus in adulto ſolent excitari. Conſtat enim ſales vi ſuâ ſtimulante contractioni favere, ſeu villos irritent unicè, ſeu fibras muſculares adactis etiam pungant ſpiculis. Vitæ porrò recenti ſub uſurâ, ſales & pauci ſunt & incarcerantur, aut ſi fiant ſui juris, vires exerunt irritas. Namque delectus alimentorum, ſi pluribus adverſatur numeris ablactatorum naturæ, ſaltem reſpectu ſalis maximè temperatus eſt. Liquores aliunde quia blandi ſunt in eâdem ætate, non ultra debitam proportionem miſcentur ſalibus. Unde gaſtricus humor inſulſus eſt & impar promovendis contractionibus. Villoſa tandem tunica, propter quòd inviſcatur muco copioſo, quæ liquorum expedierint ſeſe conſortio, ſpiculorum aciem obtundit. Unde patet infantis à ventriculo ferè nihil juvaminis advenire poſſe pro prævia conquaſſatione quam cibus craſſior experiri debet, antequàm digeſtivis humoribus ſe diſſolvi patiatur. Debilitas corporis univerſa potiorem efficaciam expectare vetat ab illis partibus quæ ſecundas in alimentorum attritu ſuſtinent. Præterquamquòd enim abdominales muſculi ſeptumque tranſverſum immenſo tractu diſtant ab ea conſiſtentia quæ validas eorum depreſſiones promoveat, illorum actioni leviuſculæ locus penè tollitur adhibitis, damno magno, faſciis quibus ſtringere amant infantum corpora. Sic enim abdominis repreſſa cavitas explanationi diaphragmatis multâ vi renititur, adeò ut ex omni parte non niſi debilis alimentorum tritus obtineat. Ad menſtrua digeſtiva ſi reſpexeris, non erit unde majus liceat augurari ſubſidium. Humores mole quidem ingenti per ventriculum & inteſtina volvuntur, quod profectò non mediocre beneficium eſſet, niſi fatui forent & inertes. Imò ſuam ob viſcoſitatem cum alimentis concreſcere potiùs apti ſunt quàm illorum reſolvere moleculas. Bilis præterea cujus in ſolvendo ſuprema virtus eſt, craſi tam aquoſâ pollet in infantibus, ut ferè nulla ſit, in aſſumptorum partibus mutandis, ejus activitas. Totidem de cauſis maniſeſtè liquet infanti nihil eſſe damnoſius, quàm illum eo victu paſcere qui ratione craſſitiei modum excedat, ſed illam victûs rationem tenerrimi corporis amiciſſimam eſſe, quæ tenuis & polytropha tamen, identidem ad pondus infunditur, quo dato, ventriculus coctioni citra moleſtiam æquabiliter incumbat.

III.

PULTICULÆ, qualem exhibere ſolent, dotes inquirenti ſtatim innoteſcet illam quando perfectè ſubigitur alimentum ſuppeditare παχυτροφότερον quidem, non verò tenue; quinimò tale potiùs eſſe, quale reſpectu cruditatis farinæ, valeat generare non parùm aëris elaſtici maximè rareſcibilis in ventriculo. Ulterior hæc adſcripta farinæ cruditati facultas demonſtratur ex eo quòd mole magnâ cum farinaceis aër concreverit. Hunc in frumento Turcico maturitatis perfectæ proximo, partem $\frac{1}{4}$ eſſe, monet experientiſſimus *Haleſius* qui de granis hujus 308, obtinuit aëris 270 pollices, ponduſve granorum 77. Noſtri de farinâ tritici nondum ita quidem accuratè definitum eſt. Magna tamen ejus intumeſcentia fermentationis in opere, ſæpiúſque cum ſibilo prorumpens halitus arguunt ipſi non eſſe mediocrem intermixtum aëra; proindéque jam illo capite, pulticula uſûs maximè ſuſpecti futura eſt, quotidianam ſi ceſſerit ablactandorum in alimoniam. Quod autem

Stat. des vég. chap. 6. expér. 56.

attinet ad facultatem ejus τρόφιμον, illam habet à lacte quo quidem animali naturæ proximius nihil eſt. Illam quoque mutuatur à farina quæ tametſi craſſior ſit imbelli pro ventriculo, ſi tamen ſe coqui patitur, quatenus craſſa, multùm alit; juxta illud priſcis obſervatum, quòd, *quò valentior quæque materia eſt, eò minùs facilè concoquatur, ſed ſi concocta eſt, plus alat.* Jam verò ratione viſcoſitatis & craſſitiei farina cruda talis eſt, ut ad perfectam ſuî diſſolutionem & aſſimilationem omnimodam cum partibus nutriendis, vim corporis adulti requirat; imò majorem quàm opus eſt pro firmiori pane concoquendo. Primò quidem virium, in aſſimilanda farina cruda præſuppoſitarum, præſtantiam nemo mirabitur qui meminerit alimenta vegetantis proſapiæ ſaltem farinacea, conſtantiorem functionum naturalium actionem repoſcere, per vaſáque pluries abripi priuſquàm affinitatem cum nutritiis humoribus aliquam induant. Utriuſque poſterioris afferti veritas ratione probatur & experientiâ. Cùm enim in farinaceis craſſa ſint, atque tenaciùs cohæreant mixti principia, protinus impellimur ad judicandum hæc ideò poſtulare tritum efficaciorem & diuturniorem. Moleculæ rurſus eorum integrantes non ita conquaſſantur, ut nullæ preli viribus & actioni menſtruorum ſe ſubducant, unde ſanguinis in officinam advehuntur parùm immutatæ. Quòd ſi negare libuerit ullas hujuſmodi craſſiores particulas lacteorum oſcula præterlabi, dabitur at ſaltem alienam non ita ſubitò naturam induci ſingulis, ut nihil omnino de priori viſcoſitate retineant. Porrò quid exinde futurum eſt niſi quòd ſanguini ſpiſſior craſis inferatur (a) *ex unitis iterùm viſcoſis particulis?* (b) *In toto nempè venoſo chyli itinere, hæc viſcidi elementa uniuntur, quod in vaſis venoſis facillimum eſt.* Hinc itaque viſcidum orietur quod arterioſi ſyſtematis ad angulos & plicas multoties eundo redeundóque tandem attenuandum eſt. His autem argumentis à ratione deſumptis ipſa quoque quàm plurimùm favet experientia. De dyſpepta farinaceorum indole conſenſus eſt apud Medicos unanimis, cum omni tempore conſtanter obſervatum prodiderint hoc alimenti genus illis tantùm proficere, qui corporis conſtitutione gaudent athleticâ. Neque etiam hujuſmodi cibum perferre ſoliti, quo tempore ſubigunt omni prorſus incommodo vacant; ſi quidem, annotante *Malpighio*, *Boerhaavius*, admonet *ſaniſſimum quemque mortalem, ſi fabis, piſis, aliiſve farinaceis nimiùm utatur, ſub ipſas coctionis horas laborare fugaci quâdam peripneumoniâ.* Porrò viſciditas confecti tali de pabulo ſanguinis, luculentum teſtimonium eſt, diviſas in primâ coctione, rurſum in ſecundâ coaluiſſe chyli moleculas, quæ dein in minores altera vice non diſſiliunt niſi quatuor abhinc horis aut quinque, magno potiſſimùm pulmonis conamine. *Qui fabarum copiam comedit, horâ tertiâ ad ſextam à paſtu, aſthmate laborat neque currere poteſt; quando verò pulmo hoc viſcidum ſuperavit, iterum liberè reſpirabit motúſque obibit ſolitos.* Jam verò nullus arguat ſiliquoſis adſcribendum crimen hoc & illud in Cerealia non cadere. Namque triticum quo nihil in nutriendo vulgatius, quo (præparatione convenienti præmiſſâ) valenti nihil eſt ſalubrius, ne ipſum quidem triticum criminationis expers eſt. *Quum enim triticum crudum ore manducas, gluten facies vix ullâ manſionis protractæ patientiâ attenuandum.* De tanta viſcoſitate panificium quidem detrahit; attamen panis etiam ea natura eſt ut indiſcriminatim omnibus permitti nequeat. *Celſus* enim infirmis aliud & aliud valentibus dum præcipit victûs inſtitutum ſic habet, *ſcire igitur oportet omnia legumina, quæque ex frumentis panificia ſunt, generis valentiſſimi eſſe.* Totidem argumentis liquidiſſimè patet, commixtam vulgari pulticulæ farinam in partem humorum animalium tranſire vix poſſe, niſi vires experta fuerit adulti ſaníque corporis, majores ergo quàm quæ fingi queant ablactandis in infantibus. Quiſquis autem panis ἀζύμου cum fermentato comparationem inierit, advertet iterum vulgarem pulticulam ex ejus cum farina cruda conſortio, coctioni multò minùs aptam evadere quàm panem inter omnes teterrimum, modo tamen fermentationi fuerit expoſitus. Paſtæ nimirùm clibano coquendæ præviam inchoa-

Celſ. lib. 2. cap. 18. ad calcem.

(a) Boerhaav. inſt. med. n°. 764.

(b) Id. Prælect. Academ. tom. 6. n°. 764.

Prælect. Academ. tom. 6. n°. 764.

Id. ibid.

Id. Chem. tom. 2. pag. 109.

Celſ. lib. 2. cap. 18.

tæ fermentationis operam applicuiſſe ſcilicet expedit, ut arctiùs invicem cohærere deſinant principia mucidi corporis in quo ſolo ſedet virtus omnis nutritia. Cum etenim in farinaceis tenaciſſima ſit illorum unio, decet ea priùs illi ſubmittere præparationi quâ poſitâ, terreſtres aceſcenteſque ſubſtantiæ convertantur ociùs in naturam animalis volatilem, ab alkali non longè remotam. Hoc autem unius incœptæ fermentationis beneficium eſt. Leni ſcilicet agitatione particularum craſſiores invicem occurſando comminuuntur. Aqueæ moleculæ quatenus maximè mobiles necnon diluendo mirum in modum aptæ, mixti receſſus pervadunt intimos, principiorum laxant aggregatum. Vi caloris rarefactus aër dum exploditur, circumquaque maſſam attollit, levitatem, rareſcentiam toti conciliat, unde tenaciſſima pleniſque vitæ viribus ægrè ſanè ſuperanda viſcoſitas, in eximiam ſolubilitatem blandè reſolvitur. Hinc ergo colligere eſt, quantùm fermentatus panis ἀζύμῳ præcellat. Ille ſcilicet ab inducta fermentatione dum explet egregiè nutritionis opus, hic ratione ponderoſitatis & cohærentiæ partium moleſtum onus eſt ubique viſceribus. Conjugatis viribus primæ ſecundæque coctionis vix in chylum ſanguinemve faceſcit, ſed in liquamen grave paſtaceum, quod ſatis amylo proximum, extendi digito poterit. Jam verò vulgatæ nequaquam abſimilis erit pulticulæ ratio, niſi fortè difficilioris adhuc coctionis futura ſit, tum quia præceps ebullitio non tantùm cruditatis in farinâ tollit, quantùm auferre valet temperatior quidem ad clibanum aſſatio ſed longiuſculâ; tum quia vix & vix quidem præcaveri poteſt ne lactis interventu farinæ flocculus unus & alter glomerentur in grumos organorum actionibus inſuperabiles. Quid ergo reliquum eſt niſi quod firmiter credatur paratam de more noſtratum pulticulam potiorem eſſe *bibliopegis pro glutinandis chartis*, *quàm infantibus pro nutritione?* Si quis aſſenſum negaverit, convertat oculos in mala quibus ablactatos ex errore diætæ cruciari certâ fide novimus, tandem comperiet ſummam neceſſitatem victûs melioris.

Etmull. diſſert. de valetud. infant. cap. 2. n°. 16.

IV.

OBSERVATIONIBUS Clinicorum qui dederunt operam in infantium regendâ valetudine, compertum habetur ablactatos cruciari multimodis affectibus quorum geneſis ex alio deducenda non eſt quàm ab enarrata pulticulæ δυσκρασία. Porrò frequentioribus hiſce familiariſſimè jactantur pathematis, ἀνορεξία videlicet λευκοφλεγματία, hypochondriorum tumore, præcordiorum inflationibus, umbilici prominentiis, ἀτροφία, lentis febribus, &c. Quorum ne unum quidem apertè non percipitur debere natales ſeu proximè ſeu remotè tantùm, alimentorum glutinoſitati. Namque viſcidior pulticulæ moles in ventriculo ſi ſtabulaverit, non poteſt non infarcire cavitatem pinguiori muco qui nerveas ita tandem papillas hebetat, ut omninò parum afficiantur à ſaliva, motu jugorum, ciborum reliquis, &c. At in locum ſucci nutritii craſſior ille mucus ubique diſtribuendus eſt; unde pro diverſitate locorum ubi ſedem invenerit, vel ſanguinem grumoſum conficiet prioris viſcidi tenacem qui parotidum ſtrumarum &c, primigenius auctor futurus eſt; aut inviſcatus in hepatis lieniſve ſinu vaſtiſſimo, nunc epigaſtrium indurabit nunc hypochondria. Quod ſi viſcoſitas in muco major eſt, quàm ut nodoſos glandularum meſaraïcarum anfractus ſuperare queat, eaſdem obruet, lacteorum ductus oppilabit, inteſtinalem incruſtabit fiſtulam, ipſum & quandoque (*a*) pylorum occludet, unde ſanè vultus decolor, corporis exſiccatio, tabes, &c. Sæpiùs autem & ſæpiſſimè protuberant aqualiculi flatu tumentes, quod vitium eſt aeris è farina cruda ſe liberantis, & impetu magno ſepimenta conantis explodere. Hinc itaque crudelia puerulorum alvi tormina, quæ tandem ſupra modum exaſperare valet lactis aceſcentis & farinæ fermentandæ fomes, eructans acidum quod acerbè pungendo tunicas, in ſcenam agat præcordiorum anxietates, vigilias, inſultus epilepticos, &c. An igitur humanum eſt infantibus inſtruere menſam, unde progerminant fœcunda

(*a*) Hildan. cent. 6. obſerv. 34. & Hofer. Hercul. Med. lib. 7. de infant. morbis, pag. 350.

tot malorum ſeminia? Quantò ſalubrius, at quantò levius iterum alimenti genus adhibendum innuit Natura, quæ toto graviditatis tempore, fœtui pro victu ſubminiſtrat lympham animalem uteri colatoriis attenuatam omni ſollicitudine! Tranſitus ab hujuſmodi cibo quando fit ad craſſiuſculum, eſt quidem locus formidini ne lædatur ideò novus hoſpes aëris. At in mammis puerperæ, paravit Natura vehiculum, cujus præmiſsâ ſuctione lacti ſubigendo diſponantur organa. Coloſtrum ſcilicet medicamentum alimentoſum eſt, *quod Natura eum in finem generavit, ut modicè nutriendo, leviter pro infantis imbecillitate purget per aliquot dies.* Quippe pro facultate diluenti deterſiváque quâ pollet, abdominis viſcera probè dum emundat à meconii ſordibus, pars ejus lactea ſed tenuis & ſeroſa maximè, tenerrimi corporis aſſimilatur ultro liquoribus, & interim lacti ſincero tutum pandit iter, quatenus de die in diem de ſua tenuitate remittit, uſquedum exierit in lac genuinum quale tenellus infans commodè perferat. Matres ergo natis quam malè conſulunt, dum à partu conductis illos permittunt uberibus, à quorum lacte rudiori non poteſt non gravari tener ventriculus! *Laurentius Hoffmannus* (*b*) meminit epilepſiæ puellis aliquot lethalis ideò, quòd fraudatæ ſalutari coloſtro, ferre non valuerint, ſinu materno quamvis admotæ, lactis pinguedinem. At quantò celeriùs invadet calamitas à ſuſcepto nutricis alienæ lacte deteriori! Hæc igitur altera cauſa eſt cur, ubi victûs paulò firmioris incubuerit neceſſitas, ſtudeamus illi qui viribus infantuli quadrans, ſuccos ingeneret habiles reparandis lactationis vitioſæ damnis. Ante quodlibet aliud commendatur hoc titulo, pulticula de lacte paranda, cum medulla panis aut *malti* farinâ. Humores etenim adulteratos demulcere ſeu ſit opus, ſeu beneficam laudabilium protegere διάθεσιν, ſubſtantia lacte prior nulla eſt. Inde patet princeps utilitas lactis ſociandi pulticulæ. *Malti* farinam medullamve panis ſuper addere bonum eſt eò quòd utrique palmaria dos eſt, illa videlicet quòd ineant facile connubium digeſtivis cum humoribus, & abundè nutriant. De panis medulla quis moveret controverſiam? Illa quidem oculata, levis, & in aëream ſubſtantiam quaſi reſoluta (ſi dente conteritur) colliqueſcit ſalivæ ſolius acceſſu. At verò de *malti* farina ſi quis eat inficias, ponet omne dubium ubi reſpexerit (*c*) in prævias quæ circa *maltum* inſtituuntur operationes antequam ad vinum obtinendum cado tandem infundatur. Frumentum ſcilicet ante jam exſiccatum in aqua macerant uſquedum intumuerit. Hinc exemtum in acervos congerunt, germinandi cauſâ, donec emiſſis radicum foliorumque rudimentis frangatur viſcoſitas partis farinoſæ. Quominùs autem tota conſumatur quin imò putreſcat frumentum æſtuans, illud in latum diſpergunt ociùs ventilandum aëre nudo, maximè omnium ſpirante borea. *Tum verò demiſſum lentè per calefactum valdè canalem, frumentum hoc ita præparatum, ſubitò valdè exſiccatur, adeò ut ferè, leniſſimè tamen, quaſi ſubtorreatur.* Quo quidem in ſtatu *maltum* vocant, quod molari tritum lapide, dulcis admodum ſaporis qui priùs in tritico non erat, farinam dat deliqueſcentem molliter in ore. Hæc igitur, aut medulla panis ſi leviter cum lacte bullierit ad conſiſtentiam pulticulæ, liberalem & eupeptam infanti dabit alimoniam, qualem deſiderat incrementi neceſſitas, cum imbecillitate virtutis digeſtivæ conjuncta.

Spigel. tract. de formato fœtu cap. 13. pag. 17.

(*b*) Comment. de vero uſu & fero abuſ. medicam. Chymic. pag. 48.

(*c*) Boerhaav. hiſt. ferment. n°. 14. Chem. tom. 2. pag. 109.

Id. ibid.

V.

CONSUETUDINIS mancipati ſervitio plurimi forſitan arguent; farina cruda ſi tantùm noceret quantùm illi tribuitur, nullus infans ab illius uſu ſoſpes ſervaretur. Ergo vix aliqua fides erit malis quæ cauſantur in ablactatos ab ejus cruditate redundare. Quinimò nihil eſt unde tam operoſa fieri debeat ejus aſſimilatio. Quippe cruda farina dives eſt aëre cujus opificium in digeſtione magnum eſt; ſalem inſuper fovet idoneum compenſandæ ſuccorum digeſtivorum inertiæ, quatenus nempe fibras irritando calcar illis addere valeat. Sed qui ſic reclamant telum imbelle ſine ictu conjiciunt. Sal quidem in cruda

latitat farinâ, ſed ille non eſt medius, illorum de genere quibus imprægnantur ſaliva, gaſtricus humor, &c, quique fibras vellicando leniter amicam in contractione ventriculi conferunt operam. Sed ſal acidus eſt, lancinans, infenſus itaque villis maximè ſenſibilibus. Aer etiam, exiguâ quantitate receptus in ventriculo, pollet in laxandis alimentorum nexibus virtute non mediocri; ſed in farina cruda deliteſcit ad majorem longè copiam quàm poſtulat opus ab eo perficiendum. Colicos itaque dolores pariet & alia numeroſa flatulentiæ ſymptomata. Quapropter uſum vulgaris pulticulæ ſi multi ferunt incolumes, grates rependamus Ter Summo NUMINI, quod ſingulis ſi dediſſet piandum mortalibus quidquid in victu peccarunt, à pluribus retro ſæculis orbis terrarum incolis caruiſſet. Objiciunt è contrario plures alii, cum lacte, farinis; & ipsâ proinde *malti* farinâ, deglutiri germina lumbricorum qui ventriculum & inteſtina puerorum obſident. Opinionem hanc experientia magiſtra dedocuit. Cibaria, quantùm volueris, intingantur inſectorum ovis, nullus inde vermis orturus eſt, dum modò bullierint, quandoquidem ad calorem bullientis aquæ ſolvitur animalis natura. *Nullus unquam vermis viſus eſt in infante quandiù ſolo lacte cocto, cibiſque coctis nutritur. Tum vermes incipiunt generari quando cruda adſumuntur.* Alii non pauci lactis aceſcentiam veriti, increpant ideò pulticulam quam lac ingreditur. Palmam intereà deferunt animalium juſculis, vitellis ovorum, &c. Omnium autem maximi faciunt (*a*) pulmentaria de medulla panis, aquâ & butyro confecta. Ad aceſcentiam lacti quidem eſt nativa propenſio quæ poſſit in ventriculo malorum fieri multorum artifex. Ergo diligentiſſimè reſpiciendum eſt quò corpus inclinet in γαλακτοπόταις. Perſæpè ſcilicet infantium in ventriculo lacticinia reſtitant ob ſolam virium imbecillitatem, quo quidem in caſu non eſt illico remittendum de pulte lactea. Frictiones etenim linteis calidis & aſperis ad focum celebratæ, (*b*) medicinam in hujuſmodi δυσπεψίᾳ faciunt egregiam. Quòd ſi proclivitas ad concretionem lactis proxima pateat, ſeu quia morbus aliquis præceſſerit, ſeu quia febricitant ex ὀδοντοφυΐᾳ, &c, tunc interdicantur à lacte. Interim pro re natâ, ſi qua in victu craſſiuſculo perſtat ſecuritas, proderit utique pulmentum ex aqua pane & butyro. Sed extra metum coaguli potior erit pulticula de lacte cum medulla panis aut *malti* farina. In lacte videlicet lautior eſt alimonia; butyrum aliundè nidoroſos efficit humores. Jam verò non feliciùs de πολυτροφίᾳ cum lacte certabunt ovorum vitelli vel animantium jura. Sed inter nutriendum etiamſi pari gradu cum lacte procederent, lac nihilominùs quamvis aceſcens illis anteiret ob facilem eorum alkaleſcentiam; quæ quantò diutiùs removeri poteſt à noſtro corpore tantò meliùs eſt. Conſtat enim *alkalinam intemperiem plus nocere intra unam horam, quam acida intra integrum revolutum annum.* Primævi mortales μακροβιώτεροι ſolis utebantur aceſcibilibus. Alii perverſæ qualitatis crudæ farinæ conſcii, putant ſe feciſſe ſatis ſi priùs ad clibanum hanc exſiccaverint. Ita quidem obtinent exhalationem aliquam aëris & aquæ; ſed nunquam aſſequuntur deliqueſcentiæ gradum qualem germinatio, poſteàque torrefactio farinæ *malti* conciliarunt, & qualis etiam medullæ panis inductus eſt fermentationis atque coctionis auxilio. Quamobrem farina furno retorrida, frugi quanquam ſit melioris quàm ea quæ cruda eſt, inferior attamen habetur medullæ panis aut *malti* farinæ. Convenienti de delectu ulteriùs quid ambigeretur?

Boerhaav. Prælect. Academ. tom. 6. n°. 792.

(*a*) Freder. Hoffm. tom. 1. lib. 2. cap. 12. n°. 15.

(*b*) Boerhaav. Prælect. Acad. tom. 6 n°. 764.

Id. ibid. n°. 912.

Ergò ablactandis pulticula potior è medulla panis aut malti *farinâ.*

Proponebat Pariſiis JACOBUS-FRANCISCUS LATIER, Rothomagenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.